

De delphino

Historia vera, sed mira, a C. Plinio narratur. In Africa erat urbs Hippo; prope urbem erat magnus lacus; is lacus flumine cum mari coniungebatur. Eo in loco omnes incolae, praesertim pueri, navigare atque natare solebant. Unus puer audax procul a litore natabat; subito delphinus apparet. Primum cum puero ludebat, mox puer in delphini tergo sedet. Ita puer primum in mare portabatur, deinde terrae amicisque reddebatur. Postero die revenit delphinus et pueros ad se vocare videtur. Timor a pueris deponitur, appropinquant et cum delphino ludunt. Sed ille primus puer a delphino praecipue carus habebatur; neuter timet, neuter timetur, itaque puer diu a delphino per undas portabatur. Et iam multi de re mira audiebant atque e civitatibus diversis veniebant. Itaque mox locus quietem suam amittit. Tandem incolae irati delphino mortem parare constituunt. "Nam – dicunt – multi semper in urbem nostram conveniunt, nos quietem nullam habemus". Itaque delphinus ab incolis urbis occiditur.